Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Tria sunt munera. Lectio x. Ecce agnus dei ecce
innocens et ab omni peccato immunis. ut pote qui os de ossi
bus adam et carnem de carne adam. sed nullam de carne
peccatricem traxit maculam culpe. Ecce qui tollit pecca
ta mundi. Ecce qui iustus inter peccatores iustus inter im
pios. Hic est qui agnus inter lupos apparens etiam
peccatores et impios iustificandi habet potestatem. R. Dies sancti-
Quoniam christus peccata mundi tollat quo or Lectio xi.
dine iustificet impios. apostolus petrus ostendit qui
ait. Non corruptibilibus argento vel auro redempti estis
de vana vestra conversatione paterne traditionis. sed precioso
sanguine quasi agni incontaminati et immaculati ihesu christi. Et
iohannes inquit in apocalipsi. Qui dilexit nos et
lavit nos a peccatis in sanguine suo. R. Vidimus stellam.
Non solum tunc lavit nos a peccatis nostris in sanguine Lectio xii.
suo quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis
vel cum quisque nostrum misterio sacrosancte passionis illius
baptismi aquis ablutus est. verum etiam cottidie tollit
peccata mundi. lavatque nos a peccatis nostris cottidianis in san
guine suo cum eiusdem beate passionis ad altare memoria re
plicatur cum panis et vini creatura in sacramentum
carnis et sanguinis transit eius ineffabili spiritus sanctificatio
ne. R. In columbe specie. Secundum Lucam
In illo tempore. Factum est cum baptizaretur omnis populus
et ihesu baptizato et orante apertum est celum et des
cendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum et
vox de celo facta est. Tu es filius meus dilectus in te com
placuit mihi. Et ipse ihesus erat incipiens quasi annorum triginta
ut putabatur filius ioseph. Qui fuit hely qui fuit.